

qui illuc extemplo milites dirigunt. Pitilianenses interim, re percepta, nocte adventantes, per arcem ingressi Urbem recipere parabant; jamque prodeuntes cum Civibus pugnam inibant: qui cum accersitum à Senensibus præsidium tardè nimis adventaret, cedere, & Urbem linquere coguntur; qui Meranum confugientes, & alia circumvicina Oppida, perquam benignè suscipiuntur. Senensium verò Præfecti cum militibus quampluribus advenientes, ascitis secum Suanensibus, ad Urbem proficiscuntur. Pitilianenses verò cum illam se defensores diffiderent, diripiunt, atque incendunt, sacris rebus etiam non parcentes. Senensium milites advenientes arcem obsident, cuius Præfectus suorum fuga, ac Gentilis morte perterritus, eam Senensibus tradidit sexto Idus Augusti Anni 1433. quod Senis nuntiatum, ingentem lætitiā excitavit, & Pierotius proditor postridie capite in foro truncatur.

Nec post multos dies circiter Septembris mensis initium Antonius Petruccius Senas accessit, & extemplo Bindaccium Ricafulum Brolii Dominum monuit, ut Florenos aureos quadringentos, quos in Bibona restitutione pro Florentinis Præfectus sibi fuerat pollicitus, ad se mitteret; quod cum pluries postulasset, nil, præter generalia verba, reportaverat; tandemque Florentiam, quo sibi ob ingentes inimicitias tutus non erat accessus, ad eos recipiendos, ut accederet, responsum tulerat. Quamobrem cum sibi illum existimaret Antonius, collecta clientum manu, eaque paulatim ad Senensium fines præmissa; ipse, assumto secum Nicolao filio, clam, inermisque ex Urbe se proripuit, noctuque VII. Idus Octobris, Sextam, quo omnes constituto convenerant, se contulit; indeque mane insequenti decem ex sociis venatorum habitu indutos Brolium præmissit, qui advenientes, Oppidi Portam insperato occupaverunt, statimque dato signo Antonium accerserunt, qui cum reliquis Oppidum ingressus, Bindaccium captivum fecit, exindeque rebus necessariis se communivit, Senensesque extemplo, ac Florentinos per literas monuit, se non odio, inimicitisque permotum, sed ut pecuniam sibi debitam exigeret, id omne gessisse. Senenses autem ipsa nocte Florentiam miserunt, illatam ab Antonio injuriam accusantes, seque ab eapenitus exousantes, nullo id publico, privateve consensu factum asserentes. Florentinique postridie Oratorem Senas mittunt, ut rem pernoscere, Senensesque ab omni cul-

pa remotos, prout asserebatur, percipiunt. Qui, ut mentem suam latius patefacere, Antonium, ejusque filium, ac Guillelmum fratrem exules fore declarant. Et Florentini ad Oppidum obsidendum milites mittunt; quod persentiens Antonius, noctu discessit, Guillelmo fratre ad præsidium relicto, qui Florentinis advenientibus, salvis suis omnibus, Oppidum reddidit.

Res post hæc in Civitate nostra ita quieverunt, ut nil memoratu dignum per annum & sex menses factum inveniam, sed pacem frui Civibus, atque otio licuerit.

At non verò insequenti MCCCCXXXV. circa Martii finem Nicolaus Picceninus, cum Thalamonem navi delatus pervenisset, ad Petriolas Balneas proficiscitur, ubi per mensem commoratus, publico sumtu continuè alitur. Senas mox advénit, ubi maximis honoribus & publicè & privatim afficitur. Ipse autem supremum Dominorum Priorum Magistratum invisens, maximas de acceptis muneribus atque honoribus gratias egit. Antonii deinde, atque Guillelmi Petruccii restitutionem postulavit, quam extemplo benignè obtinuit. Sed Guillelmus antequam in Patriam rediret, moritur, atque in Urbem, ut erat mortuus, sepeliendus defertur. Exinde Thalamonem reversus, Genavam primò, deinde Mediolanum se contulit. Quo tempore Cocchus Salimbenius, de quo supra meminimus, Senis moritur, & in aede D. Francisci maxima cum pompa sepelitur.

Post hæc nil memoratu dignum per quadriennium invenio, nisi quòd Anno Domini MCCCCXXXVI. circa Martii finem Terræmotus factus est vehemens, ita ut publicæ Turris Campana ex se ipsa præ agitatione concussa sonum ediderit, multaque domorum culmina, atque fastigia ad terram, maximo cum terrore omnium atque discrimine, collapsa fuerint atque dejecta. Exinde Anno insequenti Pestis ingens Civitatem ac Regionem omnem invasit, ita ut ea pene à suis Civibus desereretur. Ex quo factum est, ut rapinæ & furta quamplurima per ferè vacuum Civitatem committerentur, ac etiam sacra subriperentur. Nam Cathedralis Templi Sacrarium argenteo quodam simulachro, aliisque rebus nonnullis spoliatum fuit: Id à Clericis factum quibusdam, qui alia plurima perpetraverant facinora, compertum est. Ex his unus in Civitate, duo verò fugientes extra capiuntur, capitalique supplicio ita, ut digni fuerant, puniuntur.